

Johann Cammann Johannes Neubauer

Disputatio IX. De Testamentis, Et Legitimis eorum conditoribus, ac iusto eadem conficiendi modo


Rostochii: Typis Myliandrinis, 1608

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn728319519>

Druck Freier  Zugang



J. Cammanus. 1a
B. U. jur. 1608.



Disputatio IX. XLIV

DE

TESTAMEN-
TIS, ET LEGITIMIS
eorum conditoribus, ac justo eadem
conficiendi modo.

Quam

Deo ter-Maximo dactore & doctore

PRÆSIDENTE

JOANNE CAMMANO

Brunsvigio,

In florida Rosarum Academia

Collegis suis nobilissimis & doctissimis
discutiendam proponit

&

ex ratiōnis cōvictōis propugnabit

JOANNES Niebur Hamburgensis.


4 Eid. Decemb: loco & tempore solitis.

R OSTOCHII Typis Myliandrinis M DC. IIX.

1608

Excellentissimo & consultissimo Viro dno Joachimo Ericio J.
præstantissimo, sancto, conuictori meo oulissimo Soc qca
disputationis 2. M. 2. offert. Respond. Auctor





DISPUTATIO IX.

DE TESTAMENTIS, EORVMq;
legitimis conditoribus, & iusto confi-
ciendi modo.

THESIS I.



Odi acquirendi rerum dominia de jure civ. aut sunt singulares, aut universales. (a) Modis singularibus, de quibus ex parte (b) supra actum est, relictis, jam ad modos universales accedendum. Acquiritur a nobis universitas (c) aut mortis causa, aut inter vivos (d) Mortis causa aut jure civ. per hereditatem; aut Prætorio per bonorum possessionem. (e)

a) *Sult. l. per quas perso. cuiq; acqui.* Et si igitur in universitate res quoq; singulares inveniuntur; & ita acquirantur: tamen cum hæc in consequentiam demum universalis veniant, nec principaliter & per se, ut in altera illa acquisitione singularum rerum acquirantur: ideo hic modus successio potius in jus, quam in rem appellatur. *Don. s. com. 2. Wesenb. ad d. § ult. vid. Vult. ad pr. l. de testa. ordin. n. 2. & seqq.*

b) quia primò quidem de materia legatorum & fideicommissis singularibus, quæ sunt modus acquirendi particularis, nondum actum, sed illa certo consilio ab Imp. sub finem materiæ testamentariæ demum tractanda rejecta fuit. *d. § ult. l. per quas perso. cuiq; acqui. princ. l. de leg. ubi Interpp.* Deinde etiam plures in jure modi particulares & quidem civiles acquirendi rerum dominia occurrunt, quam de quibus hæctenus dictum fuit: veluti quando creditor à Principe jus bonorum debitoris impetrat *t. t. C. de jur. dom. impetr.* Item quod dominium rei violenter à vero domino occupatæ transit ad priorem possessorem *l. 7. C. unde vi. & plures alij, de quibus vide § 39. l. de R. D. l. ult. § pen. & ult. C. de SS. Eccles. l. un. C. si liberal. Imp. soc. § ult. l. de usucap. l. 8. C. de R. V. l. 3. C. arbi. tut. Donell. d. c. 2. ubi modos istos*

particulares refert & methodicè proponit. c) aut res per universitatem, quæ est totum, ex pluribus constans distantibus inter se singularibus rebus uni nomini subiectis. l. 2. § 4. pro imo. l. 30. pr. de usucap. l. 1. in pr. de R. V. l. 208. de V. S. d) l. 1. de her. petit. d. § ult. Inst. per quas person. cuiq. acq. Vultej. ad pr. l. de testa. ordin. n. 1. & 2. e) Vultej. d. loc.

I I.

Hereditas est successio (a) in universum (b) jus, quod defunctus habuit. (c) Et hæc nobis obtingit vel ex testamento vel ab intestato. (d) Unde successio civilis (e) alia est testamentaria, (f) alia legitima. (g)

a) Quod verbum large acceptum ad omnia referri potest, quæ in tota rerum natura mortalia sunt & caduca, quia his continuo alia succedunt. Obrecht. *disp. de success. testam. th. 1.* In hac autem definitione hoc vocabulo ipsum jus succedens, & personam defuncti representans significari putamus. *arg. prin. Inst. de stipul. servor. l. 31. § 1. de hered. institu. l. 55. § 1. de leg. 2. l. 9. C. deposi. l. 61. de A. R. D. l. 22. de usucap. fac. l. 50. de petit. hered. Br. in l. 1. & Dd. com. ad rubr. & tit. de acqui. hered. Don. 6. com. 2. Dn. Valent. Forsterus 2. de success. ab intesta. 2. & 3. Obrecht. d. *disp. th. 4. Dn. Valent. Guiliel. Forster. p. 1. tract. Iustin. disp. 15. th. 1. Diss. Seneca 6 de benef. c. 5. & in philosophorum sententiam descendens Alciatus in l. 24. de V. S. qui hereditatem nihil aliud, quam res hereditarias & corpora esse existimant: refutati à Dn. Forstero Senior. d. loc. Barchol. tr. de gradib. pag. (mibi) 145. & à Dd. com. ad d. t. l. de reb. co. p. & incorp. Diss. aliter Spiegelius, secutus Apellum in method. Dial. rat. c. 1. successione active pro ipsa aditione seu agnitione accipiens. Aliter *disp. Gæd. ad d. l. 24. n. 12.* Vocem hanc de causa & titulo, cuius gratiâ quid ad nos pertinet vel pertinere debet intelligens. *Diss. alij aliter, de quibus vid. Gæd. d. n. 8. & seqq.* Cumq; hereditas ita sæpe pro domina, heresq; pro domino habeatur. l. 43. in pr. ad leg. Aquil. l. 31. de hered. instit. § fin. l. de hered. qual. & differ. & herus dominum significet. l. 11. § 6. ad leg. Aquil. haud vitiose vocabulum Hereditas etiam sine diphthongo scribi posse putamus. *Cuiac. 5. O. 10. Vvesenb. ad d. § fin. l. de her. qual. & differ. Forster. Sen. 2. de success. ab intest. 15. n. 2. Forster. jun. d. par. 1. disp. 13. th. 26. Diss. Vigli. Mynsing. ad d. § fin.*
b) nisi illud jus personale fuit *arg. § finitur. Inst. de usufruct. l. 3. § ult. quib.***

quib. mod. usufr. amitt. l. 13. fol. marium. l. 7. in pr. de except. aut speciali
 ratione ad heredes transire prohibeatur, ut actio injuriarum § non au-
 tem Inst. de perpet. & temp. abbo. c) d. l. nihil aliud 24. de V. S. l. 62.
 de R. I. vid. Mercoer. 2. Opin. 13. d) d. l. 50. de pet. hered. l. 119. l. 178.
 § 1. l. 203. de V. S. l. 62. de R. I. Quare tertiam speciem, successionem
 scilicet contra testamentum non agnoscimus. dd. lb. quod etiam facit
 l. 7. de R. I. l. 1. pr. l. 20. in pr. vers. sed cum. de honor. possess. cont. tab. l. 1.
 § 5. und. liber. pr. Inst. de success. ab intesta. l. 1. pr. de suis & legit. Forster.
 Sen. 1. de success. ab intest. 8. 9. 10. Forster. jun. d. disp. 15. th. 2. Diff. Covar.
 4. var. resolut. 21. e) de hac enim hoc loco jam agimus: de suc-
 cessione prætoria infra dicturi. f) eò quod ex testamento defec-
 tur, seu quod ad voluntatem hominis testamentum accedit. Obrecht.
 d. disp. th. 12. g) quæ vocatur legitima *νεκτή ἐξοχλεω*, cum ex sola
 lege proficiscatur, nec factum hominis accedat Obrech. d. loc. th. 13.

III

Testamentum (a) est voluntatis nostræ justa (b) sen-
 tentia, de eo quod quis post mortem suam fieri velit. (c)

a) A testatione mentis ita dictum, secundum magnum illum
 JCrum Servium Sulpitium A. Gelli. 6. N. A. 12. pr. l. d. testa. ord. ubi
 Interpp. Vlp. in frag. 2. 20. in pr. Connan. 9. com. 1. Gæddæ. ad l. 164. n. 6. de
 V. S. Reusner. p. 1. de testam. c. 7. n. 3. 8. & cap. 9. n. 1. Arum. disp. 7. th. 1.
 Forster. jun. disp. 12. th. 2. Diff. Valla 6. Elegan. 37. ubi ob hujusmodi no-
 tationem, quod ipsi non insolens, JCros ridet: unde Ant. Faber. 4. con-
 ject. 17. reprehendendi potius quàm discendi studio Pandectas eum le-
 gisse asserit: quæ tamen suspicione ipse se lib. 3. elegan. in pr. liberare
 videtur, ubi & libenter, & quadam cum admiratione se quinquaginta
 Digestorum libros pellegisse ait, & præstanti JCros veteres ornata
 elogio. Alciatus in l. tabernæ de V. S. Tiracquell. de nobil. c. 31. n. 538. Cujac. 11.
 O. 37. & 26. O. 40. Quæ tamen verba non definitionem rei, sed nomi-
 nis tantum continere asserimus Theoph. & Vultej, ad d. pr. n. 14. Forster.
 junior. d. disp. 12. th. 1. Diff. VVesenb. ad d. pr. Accipitur autem vocabulum
 hoc testamenti non solum pro hac contestatione mentis; sed etiam
 pro scriptura seu tabula, in qua hujusmodi contestatio est consignata.
 l. 15. ad L. Corn. de fals. l. 1. & 12. testament. quemad. aperit. inst. & describ.
 Quandoq; etiam pro hereditate testamentaria. l. si. de bon. poss. sec. tab.
 l. 14. de his quæ ut indig. Pratej. in lexi. verb. testamentum. Diversas testa-

menti adpellationes seu synonyma vide apud Ioan. Cheirod. *Ceram. in
 parat. l. d. tit.* b) h. e. quæ fit secundum regulas juris, illas scilicet,
 quæ ad materiam testamentariam pertinent, ut ita vocabulum
 hoc secundum subjectam accipiatur materiam *arg. l. 15. § 4. D. locat.
 Cujac. in l. 1. qui testam. fac. poss. Georg. Obrecht. d. disp. de success. testam.
 th. 73. & seqq. Diff. Acc. in d. l. 1. definitioni addens verba: cum institu-
 tione heredis: reprehensus à Br. & Dd. ad d. l. 1. qui justam sententiam
 pro perfecta accipiunt: iterum eo nomine reprehensi à Castrensi ad d.
 l. 1. Diff. aliter Duaren. ad d. l. 1. justam accipiens sententiam de legiti-
 ma seu legib. introducta. Aliter Don. 6. com. 4. plenam intelligens sen-
 tentiam, quæ fit de omnibus bonis. Aliter Dn. Ioh. Barterus decad. 6. q. 1.
 justam pro directa accipiens. Aliter deniq; Vigl. ad t. l. de testa. ordi. n. 24.
 & 32. Myns. ad d. pr. Bronchorst 2. misc. 8. justam sententiam explicans
 solennem. Conf. Treutl. p. 2. disp. 10. th. 1. lit. e. & f. De quorum
 omnium opinionibus, an & quatenus admitti & tolerari possint, in
 ipsa collatione videbimus. Cum igitur regulas juris in testamentis
 observandas esse dixerimus: quæstionis est, quales jam regulæ in fa-
 ctione testamenti observandæ veniant, num merè civiles; an vero ex
 jure gent. etiam depronitæ? Cujus quæstionis resolutio ex altera illa
 huic affini dependet: An testamenti factio juris sit civilis, an verò
 gentium? Et quidem quoad formam, quam in forò Rom. accepit
 & jam habet propriam, juris civilis illam esse, fateri necesse habemus.
 § sed cum 3. l. d. 1. § fin. l. de usu & habit. arg. l. 120. de V. S. jun. § ante he-
 redis l. de leg. 1. l. 1. C. de here. instit. l. 2. C. de bon. proscrip. l. 8. § 1. qui te-
 stam. fac. poss. junct. l. 17. § 1. de pæn. l. 15. de interd. & releg. Br. in l. ex hoc
 jure de l. & j. Castrens. in l. 3. de testa. Bronch. 3. ass. 20. Forster. jun. d. disp.
 12. th. 3: Matth. Stephani centur. 2. ex Instit. q. 15. Quamvis dispositio-
 nibus ultimarum voluntatum alias etiam gentes usas fuisse non diffinea-
 mur. Genes. 27. Cujac. ad d. l. 1. Connan. 3. com. 5. Vult. ad § 1. l. de testam.
 ordi. Daub. de testam. n. 82. ubi vide plures. quibus adde Reusner. d. tr. c. 4.
 n. 8. & seqq. Obrecht. d. disp. th. 62. & seqq. Dn. Arumæ. d. disp. 7. th. 3. &
 disp. 17. th. 1. Unde etiam principem, ex plenitudine potestatis, testa-
 mentis privatorum ritè factis derogare non posse sequens est. Sichard.
 ad l. 10. C. de testam. n. 7. Covarr. 3. var. resol. 6. n. 5. Vasq. illu. quæst.
 c. 5. n. 22. Stephan. d. cent. 2. q. 52. o) d. l. 1. qui testam. fac. poss.
 Vlp. in fragme. t. 20.*

Estq;

I V.

Estq; hodie (a) paganum, vel militare. (b) Paganum est, quod domi fit extra militiam. (c) Cujus iterum duæ sunt species: scriptum & nuncupatum. (d) Illud, quod juris forma observata in scripturam redigitur ex voluntate testatoris, eo animo ut sit testamentum scriptum. Hoc, quod testator viva voce ritè condit. (e)

a) Sublatis jam illis, quæ apud veteres in usu fuerunt, testamentorum generibus, de quibus *Imp. in § sed ut nihil I. de testam. ordi. ubi Interpp. & cumprimis Hortens. item Ioan. Cheirod. Cevam. A. Gell. 15. N. A. 27. & li. 8. c. 29. Latè Reufner. d. par. 6. 10. & subseq.* b) quorum hoc jure singulari, illud regulari conditur. *Cujac. in w. C. de testa. mil.* Et hoc quidem militibus solis; illo verò etiam militibus, si velint, æquè ac paganis uti jure permissum est. *Don. 6 com. 4. Vultej. 1. I. R. 73. n. 113. & seqq.* c) *Don. d. c. 4.* d) *§ fin. I. de testa. ordi. ubi Interpp.* e) herede nuncupato coram septem testibus *d. § ult. l. 21. in pr. eod. Vultej. ad pr. I. d. r. n. 40.* Etiam si autem testamentum hujusmodi nuncupativum in scripturam redigatur: nihilominus tamen nuncupativum manet, & scriptura tantum rei gestæ probatio est *Schneide. ad d. § fin. n. 4. 5. & seqq.*

V.

Scripti testamenti forma (a) est, ut testator testamentum suum à se, si literas novit, aut si harum ignarus sit ab alio (b) ipsius nomine scriptum, vel ipso præsente subscriptum, (c) & à testatore consignatum, (d) septem testibus (e) idoneis (f) specialiter ad hoc rogatis, (g) corpore animoq; præsentibus (h) offerat, eorumq; singuli suum & testatoris nomen subscribant (i) proprioq; vel alieno annulo subsignent; (k) & hæc omnia unico actu (l) peragantur.

a) Cujus ut majora solennia: ita etiam prolixiorum requirit hoc loco tractationem. Ex illis autem, quæ hic dicentur, nemini, quæ in testamento nuncupativo requirantur, obscurum esse poterit. Non ineptè autem hoc loco quæritur: Si facultas concessa sit vasallo disponendi in ultima voluntate de feudo pro arbitrio, an aliquid de for-

de forma testamentorum remissum videatur, seu an solennitates tes-
 tamentorum intelligantur sublatae? Quod negamus *tum Decio consil.*
512. n. 2. Menoch. 1. de A. l. Q. 7. n. 39. Moller 2. Semestr. 10. n. 1. Daub.
d. rr. de testam. n. 112. & ibi alleg. Diss. Ruin. 1. conf. 100. n. 2. b) l. 21.
in pr. l. 28 § ult. Auth. & non C. de testam. c) d. l. 28. oportebat
 etiam antea testatorem ipsum heredis instituti nomen, si literas no-
 verat, scribere propria manu, aut si scribendi modum ignorabat, cla-
 ra voce illud, ut à testibus presentibus scribi posset, enunciare § *sed*
his l. de test. ordi. l. 29. in pr. C. de testam. Verum hoc postea per N. 109-
 6. 9. abrogatum, ita ut testatori hujus solennitatis observatio vel ne-
 glectio libera sit relicta. d) *d. l. 21. pr. e) jure non tan-*
 tum veteri d. § *sed cum l. d. t. d. l. 21. l. fin C. de testam.* Verum etiam
 novo seu novissimo Cujac. in *l. heredes palam 21. qui testam. fac. poss.*
 quod manifestè etiam comprobat Constitutio Maximiliani I. pro-
 mulgata in Comitibus Colonienfibus: A. C. 1512. t. von Testamenten § *und*
sollen die Notarij. Reusn. d. p. 3 c. 12. n. 13. Daub. de testam. n. 420. &
seqq. Dn. Arum. d. disp. 7. th. 10. Dn. Forster. d. disp. 12. th. 4. Diss. CC. in c.
cum esses de testam. Conf. Eberh. à Middelb. in Top. in loco à ratione legis lar-
ga. Septenarius autem potius quam alius numerus electus hoc loco
 putatur, sive quod veteres singularem quandam viam & virtutem
 numero huic Pythagoreo tribuerunt *Heur. Cornel. Agripp. 2. de occult.*
Philosoph. 10. conf. Macrob. 1. in somn. Scip. o. 6. Paul. 4. sent. 9. senten. septi-
mo. ubi Cujac. Gothofr. ad l. 3. § ult. de suis & legit. Forster. d. p. 1. disp. 3.
thes. 7. Matth. Stepha. d. cent. 2. q. 56. sive quod hic numerus ha-
 beatur perfectus: testamentum autem sit voluntas perfecta *Forst. d.*
th. 4. Sed nunquid septenarius hiccè testium numerus est de sub-
 stantia testamenti? Negat *Oldendorp 4. class. act. in pr. Alciat. in l. 1. C.*
de SS. Eccles. Mynf. ad d. § sed cum l. de test. ordi. n. 3. 4. 5. Diss. Dd. com. in
l. nemo potest 55. de legu. 1. Stepha. d. q. 56. lit. b. quorum sententia
 firmioribus niti videtur fundamentis. f) *quales sunt omnes*
 non prohibiti, *de quibus vid. infr. th. 9. g) d. l. 21. C. de testam.*
d. l. 21. § pen. eod. Reichs abscheid sub tit. de Notarijs § es ist auch im Testa-
 ment noth. Etli autem nihil interest, à quo rogentur, cum lex simpli-
 citer ut rogentur exigat *Alexan. conf. 47. li. 2. in dubio tamen eos ro-*
 gatos esse non praesumitur, cum solennitates extrinsecæ non praesu-
 mantur. *Br. & alij in l. sciendum de V. O. Iason. ad d. l. 21. C. de testam.*
Mynf.

Myns ad d. § sed cum u. 6. Reusn. d. p. c. 11. n. 9. (b) l. 9. l. 12. C. de testam. d. § sed cum Gerd. ad l. 209. n. 1. de V. S. Reusn. d. p. 3. cap. 13. n. 1. & seqq. i) l. pen. qui testa. fac. pess. d. l. 21. C. de testa. d. § sed cum. modo literas pingere omnes possint. Alias enim duo vel tres pro alijs, qui literarum peritiam præditi non sunt, presentes tamen adsunt, subscribere possunt l. ul. C. d. t. Kling. Myns. Borch. ad d. § sed cum. Licet alias qui literas ipse exarare potest, ne quidem notario subscriptionem istam committere possit Bl. ad d. l. pen. ubi refert Gothof. k) d. § sed cum § possunt l. eod. l. 22. § 2. eod. l. 12. C. eod. Reusn. d. p. 3. c. 26. & seq. Sed nunquid alio etiam signo quàm annulo signare testes possunt? Aff. post Br. & Fabr. (qui sententiam suam etiam prædicari testantur: Myns. in d. § possunt. n. 2.) Conna. 9. com. 2. n. 3. Don 6. com. 8. Hotom. 1. O. 20. Bronch. 2. misc. 6. Dn. Barter. decad. 6. q. 7. Dn. Arum. d. disp. 7. th. 17. & disp. 17. th. 12. Hænon. disp. 7. th. 7. Ant. Matthæ. disp. 8. Inst. th. 6. Diff. Duar. de testa. rubr. de testam. in script. Cujac. 14. O. 11. Dauth. ad d. l. 22. § signum. qui testa. fac. pos. Reusn. d. l. c. 27. n. 6. 7. l) d. § sed cum. d. l. 21. § ul. eod. l. 28. C. eod. actum tamen naturæ necessarium hinc excipimus. Reusn. d. p. 3. c. 28. Ant. Matth. in not. ad d. § sed cum. & disp. 8. th. 5. Extraneos verò actus intervenire prohibemus. d. l. 21. Contractus quare in testamento celebrari non poterit. Conna 9. com. 3. Dauth. ad l. 21. D. d. t. n. 17. & multis seqq. Fachin. 5. con. 32. in si. Bronch. 3. aff. 22. Vultej. ad § 5. l. d. t. n. 31. Barter. d. de ca. 6. q. 9. Elias Robertus disp. 11. th. 8. Arum. d. disp. 7. th. 18. & disp. 17. th. 11. Forster. d. disp. 12. th. 6. Auth. Steph. d. cent. 2. q. 60. Diff. Covarr. in rubr. de testam. n. 17. Boër. decis. 353. n. 4. Loriott. de apicib. jur. tit. de testam. ordin. axiom. 25. Duar. d. l. c. tit. de nuncup. testa. Reusn. d. c. 28. n. 8. Hænon. disp. 7. th. 6.

V I.

Et hæc solennitates testamenti scripti omnes strictè observare coguntur, (a) nisi quibus aliquid de solennibus hujusmodi est remissum, veluti rusticis, (b) item relinquentibus aliquid in testamentis ad pias causas, (c) parentibus quoq; inter liberos testantibus, (d) & illis qui grassante peste testamenta condunt, (e) ut & qui posterius testamentum condunt, in eoq; eos qui ab intestato successuri erant, heredes scribunt. (f)

B

a) arg.

a) *arg. l. 35. de lega. 1. conf. Covarr. ad c. cum esses de testam. n. 4. & seqq. & n. 17* b) quibus quinq; etiam testium, inter quos etiam quidam illiterari esse possunt, presentia aliquando, si videlicet in eodem loco, ubi testari volunt, minime inventi fuerint septem, sufficit, secundam constitutionem Justiniani in *l. ul. C. de testam. Reusn. d. tr. p. 4. c. 4 n. 32 & c. 15. Obrech. d. disp. 19. th. 166. & seqq.* c) quorum voluntas quovis genere testationis declarata effectum sortitur. *c. reatum. de testam. Reusner. d. p. 4. c. 11. 12. 13.* cum in hisce causis periculum falsitatis non æquè ut in alijs præsumatur; favorq; pietatis hoc in casu metum periculi merito superet. *Obrech. d. loc. thes. 185.* d) ex imperfecto enim parentum testamento inter liberos voluntas rata habetur *l. 21. § 1. C. de testa.* Unde etiam omisis alijs solennitatibus quocumq; parentum scriptum olim sufficiebat *l. ul. C. fam. etc. Obrech. d. lo. th. 174.* Quod tamen postea correctum est *N. 107. c. 1. ubi si pater inter liberos testaturus literas novit, propria manu & quidem integris literis liberorum nomina, & uncias, ex quibus ipsos vult esse heredes, rerumq; quas inter eos dividi vult, significationes, unà cum tempore conditi testamenti scribere jubetur.* Sin a. extranea persona liberis in tali testamento permista sit, ea ex tali testamento nihil capere poterit, sed istius portio liberis accrescit *d. l. 21. § 1. Boër. decis. 249. n. 1. Vaud. 1. q. 27.* nisi tale testamentum sit *ὀλογογραφον* & coram testibus nuncupatum, tum enim extraneis inde legata debentur. *d. N. 107. c. 1. in f. Obrech. d. lo. th. 177.* Hic a. disquiritur, an si parens in conficiendo tali testamento nullos planè testes adhibuerit, sed tantum voluntatem suam chartæ mandatam in arca, vel apud Notarium reliquit, isti testamento deficientibus solennitatibus standum sit? Quod negat *Cujac. consul. 1. Rectius affirmare id videtur. Clar. in § testamentum q. 14. Gail. 2. O. 112. n. 8. Hartm. Pistor. 1. q. 1. & 2. Fachin. 4. cont. 1. Dn. Eberhard. Speckhan 1. q. 47. & 48. Bronch. 2. misc. 10. argum. d. l. ul. C. fam. etc. d. l. 21. § 1. d. N. 107. c. 1. & inde sumta Auth. quod sine. C. de testam.* e) in quorum testamentis presentiam & conjunctionem testium remissam esse inter omnes convenit, *ob l. 8. C. de testam.* Sed an etiam quoad solennitatem septenarij numeri testium, aliquid sit remissum, anxie ab Interpp. quæri ut? Et intrepidè quidem de jure Justiniano id negant *Cujac. 26. O. 10. Fach. 5. cont. 92. Arum. d. disp. 7. thes. 11. Hanon. d. disp. 7. th. 4.* quorum sententia etsi videtur dura;

dura; menti tamen d. l. 8. satis videtur conveniens. Affirm. *Reusn. d. p. 2. c. 17.* ubi varias eum opiniones enarrantem vide. Distinguunt *VVes. in par. qui testa. fa. pos. n. 10. Gail. 2. O. 118. n. 13. Myns. 1 O. 96. El. Robertus d. disp. 11. th. 3. Obrecht. d. disp. th. 187. & seqq. ubi vid.* Et ab affirmantium quidem partibus stant tam Elector Augustus 4 p. 3 quam Camerales, testibus *Gail. & Myns. dd. loc. quorum etiam sententiam, si tanta sit pestis, ut plures haberi testes non possint, putamus admittendam cum Iacobo Ayrer. in proces. histor. p. 1. c. 2. Obs. 1. n. 18. & seqq. Stephs. d. cen. 2. q. 57.* f) Posterius n. illud testamentum, modo quinq; testibus non sit destitutum, priore testamento jure perfecto codicilli vim tantum obtinente, jure subsistit d. l. 21 § si quis 3. C. de testam.

VII.

Condere autem testamentum possunt omnes (a) quicumq; non prohibentur (b) natura vel lege. Naturâ, ob vitium corporis vel animi. Ob illud surdus & mutus (c) naturâ (d) simul: (e) item cæcus. (f) Ob hoc impuberes (g) furiosi (h) mente capti (i) profundè ebrij (k) prodigi. (l)

a) Est n. testamenti factio juris publici l. 3. qui testam. fa. pos. h. e. jure publico omnib. tributa, licet in ijs tractetur de rebus, privatorum, ita tamen ut actio illa privata jure publico regatur *Cujac. & Gothof. ad d. l. 3. Coras. 6. misc. 17. n. 9. Arum. disp. Inst. 3. th. 5. & disp. 17. th. 3. Diss. Røvard. 5. var. lect. 12. n. 9. & seq.* b) l. 4. l. 19. qui testa. fac. pos. arg. l. 12. ubi gl. de

jud. l. 43. § 1. de procu. l. 1. § 1. de testib. *Grass. § testamentum q. 20 n. 1.*

c) l. discretis 10. C. qui testa. fac. pos. qui ut testamentum condat, ne quidem à Principe impetrare potest, *Vigl. & Myns. ad § item surdus l. quib. non est permi. fa. testa. & si de facto condat, ne quidem ad pias causas valere, etiam si miles sit, arg. l. 1. C. de serv. manu. putat Duar. de testam. fol. 319. cum tali vitio præditus sit, quod actiones animi impedit; quale hic intelligitur. l. in eo 2. l. qui manus 20. qui testa. fac. poss. l. eunuchis 5. C. eod. *VVes. ad d. § item surdus n. 1.* d) Separata n. est hujus conditio ab illo, qui casu talis factus est. Hic n. si literas tenet testamentum suum scribere potest d. l. discretis 10.*

e) Aliud n. dicendum: si surdus tantum, vel mutus tantum sit. His n. testandi facultas adempta non est, si observent formam ab Imp. in d. l. 70. ipsis præscriptam. *Cujac. ad l. 6. § surdus de testam.* f) nisi fervet modum sibi § 1. l. 8.

C. qui testa. fac. pos. præfiguratum § cæcus l. d. 1. ubi *Myns. Cujac. consul. 45.*

An a. inter liberos citra d. l. 8. solennitatem testari possit, questionis est? Et affirmatiuaam veriozem putamus per l. si. C. fam. erci. l. 21. § 1. C. de testam. cum Vasq. 3. ill. qq. 103. n. 11. Menoch. 4. presum. 6. tom. 1. Daub. de testam. n. 238. Grass. § testamentum q. 31. Diss. Alcia. cons. 32. n. 2. & seqq. li. 9. g) l. 5. qui testu. sic. pos. l. 4. C. eod. rationem reddit Imp. in § præterea l. d. t. Licet a. ab hac prohibitione olim excepti fuerint tribuni militum, & qui professi erant cœlbatum. Paul. 3. sent. 4. ubi Cujac. & 17. O. 36. Gothof. in l. si. C. de testa. mil. Cor. s. 5. misc. 22. Borch. ad d. § præterea. Illud tamen postea mutatum d. l. si. C. de testa. mil. N. Leon. 6. ita ut etiamsi tutoris accedat autoritas l. 1. § 1. de tut. & rat. distr. ab. arg. l. 32. de here. insti. ije in testamentis suis de facto conditis ad pias causas aliquid relinquunt Immol. in c. quia ingressa de testam. Br. in repet. l. 1. C. de SS. Eccl. tamen eorum testamenta non valeant, nisi statuto impuberis sagacis & doli capacis testamentum valere juberetur Dd. in d. l. si. Treutl. d. disp. 10. th. 3. lit. a. b) d. § præterea. l. 20. § 4. eod. l. 9. C. eod. nisi ante furorem, aut per furoris intervalla testamentum condiderit. d. l. 9. d. § præterea Reus. d. 17. p. 2. c. 11. Steph. d. cent. q. 55. Cœptum tamen sanâ mente testamentum superveniens furor nullum reddit: Myns. ad d. § præterea. n. 4. Licet ille qui hoc prætextu testamentum impugnare cepit, furorem probare teneatur, cum non præsumatur. l. 5. C. de Codicil. Vigl. ad d. § præterea. Duar. hic c. 2. Du. Speckhan cent. 1. q. 43. Treutl. d. th. 3. lit. a. i) arg. §. sed & mente. l. de curat. qui quidâ furioso differant à Myns. ad d. § furiosus. n. 12. explicatur. k) arg. c. unusquisq. 32. q. 4. Terraq. tr. de pen. caut. 6. n. 8. Reus d. p. 2. c. 12. conf. Cail 2. O. 122. l) Resti interdictionem honorum § item prodigus. l. d. t. l. 18. eod. Quid tamen dicendum, si tam prodigus quàm furiosus de facto testatus. optimè posteritati suæ consuluit? Et quidem non valere illud putat Duare. de testa. c. 2. quod tamen verius & humanius affirmare censetur Vigl. ad § 2. l. d. t. sic. N. Leon. 39.

VIII.

Lege testamentum condere prohibentur filijsfam. (a) nisi testentur de castrensi peculio vel quasi (b) servi: (c) item ab hostibus (d) capti. (e) de statu suo errantes vel dubitantes (f) peregrini (g) obsides (h) ob hæresin excommunicati (i) damnati pena capitali. (k)

a) pr.

a) *pr. l. quib. non est permis. fa. testa. l. 6. l. 19. eod. l. pen. C. eod. etiam si pater consentiat d. pr. d. l. 6. l. 25. de mort. cau. don. arg. l. 3. eod. l. 55. de leg. 1.* b) *d. pr. ubi Schneid. n. 8. l. d. t. § fin. l. de testam. mil. l. fin. C. de inoff. testam. l. 4. l. 14. C. de advocat. diverso. judic. arg. l. 2. ad SC. Maced. Reusn. d. p. 2. c. 25. & seq. Non tamen idem juris putamus esse in peculio adventitio, etiam illo, cujus ususfr. patri non acquiritur. l. pen. & ul. C. qui test. fa. pos. Sichar. ad rubr. eod. n. 12. Vult. ad d. pr. n. 11. Vigl. ibid. n. 16. Fach. 5. cour. 94. Moller. 5. semest. 60. Reusn. d. p. 2. c. 28. Bronch. 3. aff. 21. Roberu. diss. 11. th. 2. Du. Arum. d. diss. 7. th. 6. Du. loh. Barter. de ca. 3. q. 4. Serfer. diss. Inst. 13. th. 7. Hæno. diss. 7. th. 13. Stepha. d. cen. 2. q. 53. Diss. Vaud. 1. q. 1.* c) *l. 16. l. 19. h. 20. § 7. de testam. VVes. ad d. pr. l. quib. non est perm. n. 1. Reusn. d. p. 2. c. 28. conf. Cujac. ad l. 22. de testam. Eadem prohibitio & ad monachos pertinet Auth. ingressi C. de SS. Eccl. quorum tamen testamenta ante ingressum monasterij condita ingressu non rumpi putamus cum Br. in Auth. si qua mulier. C. d. t. Covar. de testam. c. 2. n. 5. Clar. in d. § q. 28. Grass. in d. § q. 34. n. 5. Treutl. d. diss. 10. th. 2. lit. d. ubi refert Cynum, Ias. & alios dissentientes.* d) *a latronibus enim capti cum liberi maneant Schneid. ad § si ab hostib. n. 1. l. quib. mod. jus patr. pot. solv. testandi facultatem non amittunt.* e) *l. 8. de testa. l. 10. de testa. mil. qui tamen si dum in civitate fuerunt, testamentum fecerunt, postea redierint, valet testamentum eorum jure postliminij: si verò ibi decesserint, valet ex L. Cornelia § fin. l. quib. non est permis. fa. testa. l. 12. ubi Cujac. eod. Mutatum tamen hoc N. Leon. 40.* f) *l. 14. l. seq. ubi gl. de testa. Reusn. d. p. 2. c. 33. Schneid. ad § fin. n. 5. l. d. t. quod tamen abrogatum est N. Leon. 37.* g) *Vult. ad pr. l. d. t. n. 14.* h) *l. 31. l. seq. de jur. sis. l. 11. ubi Cujac. qui testa. fa. pos. quod tamen accipe de obfidibus pro captivis pop. Rom. traditis, non etiam de ijs, quos una civitas tradit alteri. Br. & Dd. in d. l. 11. Lopez. r. animad. 18.* i) *Auth. credentes ubi Dd. C. de hæres. c. excommunicamus § credentes eod. Menoch. de arb. jud. quasi. 2. cen. 4. cas. 334. n. 3. Reusn. d. p. 2. c. 46. Schneid. ad d. § fin. n. 7. Grass. d. § q. 24.* k) *l. 8. § 1. & § si. qui testa. fa. pos. l. ul. C. ne sac. bap. ite. quod etiam hodie verum arbitramur cum Vasq. 3. cont. ill. 96. n. 2. Don. 6. com. 16. Grass. d. § q. 26. & seq. Reusn. d. p. 2. c. 38. & seq. Gœd. de cont. stip. c. 7. n. 25. Dauth. de testam. n. 204. Treutl. d. diss. 10. th. 2. lit. h. Arum. d. diss. 7. th. 7. Barter. deca. 6. q. 9. Diss. VVes. in 7. de testa.*

de testa. n. ul. Matth. Steph. d. cen. 2. q. 54. Huc pertinent etiam damna-
ti ob carmen famosum l. 18. § 1. de testa. l. 5. § pen. de inju.

I X.

Eodem modo quidam (a) testes esse prohibentur in te-
stamento naturâ; ut impuberes (b) furiosi (c) prodigi (d)
item surdi muti (e) cæci: (f) vel lege, quâ quidam in totum
arcentur, idq; vel ob statum personæ (g) vel ob sexum (h)
vel ob damnationem: (i) alij tantum in certo aliquo testa-
mento testari prohibentur, vel propter potestatem (k) vel ob
negocium testamenti, quod cum teste geritur. (l)

a) Regulariter enim omnes, qui non prohibentur, ad testimo-
nium illud admittuntur. arg. d. l. 43. § 1. de procu. l. 1. §. 2. de testi. &
cum quibus testamenti factio est § testes 6. l. de testa. ordi. h. e. qui
testamento facere & ex testamento capere possunt. Theoph. Faber.
Myns. ad d. § testes Diff. Acc. ad d. §. 6. Treutl. d. disp. 10. th. 4. lit. d. b) d.
§ testes ubi Interp. Reusn. d. tr. p. 3. c. 16. Nec sufficit eum pubertati pro-
ximum esse, licet in alijs actibus puberi facto credatur de his, quæ pu-
bertati proximus vidit, arg. l. 14. ad SC. Silan. gl. in l. 3. § 5. de testib.
Myns. ad d. § testes n. 6. Proximum a. pubertati dicendum putat Cujac.
17. O. 4. qui nondum pubertatem ingressus, sed tamen prope eam est,
ita ut annale vel semestre tempus reliquum habeat, l. 17. pr. de excus.
& qui linguæ gnarus, rerum ignarus sit, d. l. 14. inf. Cujos sententiam
amplectitur, Cl. Dn. Cothmannus disp. 11. Inst. cor. 2. Diff. gl. in §. pupillus
I. de inuti. stip. quæ pubertati proximum vocat eum, qui annum deci-
mum complevit cum dimidio. Diff. aliter Dec. in l. pupillum de R. I.
quem sequuntur Myns. d. n. 6. Menoch. 2. A. I. Q. 57. n. 19. & 44. cum seqq.
Coras. 6. misc. 23. Gædd. tr. de contrahen. stip. n. 204. & seqq. Treutl. p. 1.
disp. 6. th. 5. li. b. qui judicantis arbitrio hoc relinquunt. Quorum
sententia juri non videtur inconveniens. c) d. § testes l. 41. de
R. I. nisi tempore dilucidi intervalli l. 20. § 4. de testa. Reusn. d. p. 3.
c. 17. d) d. § testes l. 18. in f. pr. eod. e) d. § testes. qui scil.
nihil planè exaudire aut eloqui possunt. Myns. ad d. § testes n. 8. vid.
Reusn. d. c. 18. f) Lison in l. cunctos col. 9. C. de SS. Eccles. Myns. d.
n. 8. Reusn. d. c. 18. g) Ut servi l. 21. in pr. C. de testa. d. § testes
ubi Myns. qui n. 7. cum Fab. & Vigl. ibid. de adscriptitijs & monachis
idem

idem rectè negat vid. Treutl. d. th. 4. li. i. Grass. d. § testamentum q. 57. n. 13. Reusn. d. p. 3. c. 15. Quod si unus ex testibus, qui testamenti facti tempore liber habebatur, postea servus deprehendatur, testamentum hujusmodi nihilominus benignè sustinetur. l. i. C. de testa. § sed cum alijs q. 7. l. d. t. arg. l. 3. ubi Dd. com. de off. prat. unde tamen errorem facere jus. per errorem colligunt vid. Rotom. lib. q. 17. A. Fab. in Rationa. ad l. 39. de v. Bronch. 7. ass. 12. Dn. Contr. Bittershus. diff. Inst. 30. cor. 3. Matt. Steph. in diff. D. vol. 1. p. 1. diff. 1. th. 17. b) Ut mulier l. 20. § 6. de testa. d. § testes lul. Clar. § testamentum q. 55. n. 2. Grass. d. lo. q. 57. n. 2. Rationem veram & specialem vid. apud Myns. ad d. § testes n. 4. Treutl. d. th. 4. lit. f. Reusn. d. p. 3. c. 16. n. 2. 3. Quod etiam de jure Can. verum esse putamus cum Covarr. ad c. cum esset n. 2. de testa. Clar. d. q. 55. Treutl. d. lit. f. etiam in testamento pestis tempore condito. arg. d. c. cum esset. Moller. 4. Semest. 8. i) publico scilicet iudicio damnati l. 15. de testib. d. l. 20. § 1. de testam. v. Reusn. d. p. 3. c. 19. k) quæ est inter testem & testatorem § in testib. l. de testa. ord. d. l. 20. pr. Facit enim potestas, ut una & ead. persona censeantur arg. § si quis 4. l. de inuti. stip. Nemo a. sibi ipsi testimonium perhibere potest. l. 10. de testib. Myns. & Vves. ad d. § in testib. Bron. 2. ass. 97. adeo ut si filius fam. de castrensi peculio post missionem faciat testamentum, non tamen rectè adhibeatur pater d. § in testib. Et cum illa ratio in filio emancipato cesset; ideo cum in testamento patris (non etiam in alijs causis l. 6. C. de testib. l. 9. eod.) admittimus. Vgl. Myns. & Vves. ad d. § Don. 6. com. 7. Revat. 2. var. lect. 8. Dauth. ad d. l. 20. n. 6. Treutl. d. th. 4. li. m. Bronch. 3. ass. 23. Reusn. d. p. 3. c. 20. n. 9. 15. & 17. Dn. Barrier. d. dec. 6. q. 8. Dn. Arum. d. disp. 7. th. 8. Diff. Dd. com. Duar. 1. disp. anni. 28. Quod etiam de marito & fratre emancipato affirmamus. Reusn. d. c. 20. n. 14. Bronch. d. ass. 23. l) Ut heres scriptus & qui in ejus potestate est § sed neq. 10. l. de testa. ord. ab. Porch. Myns. Schneid. Aliud est in legatarijs & fideicommissarijs singularibus, qui in testamento etiam nuncupativo rectè testes adhibentur § legatarijs 11. ubi Myns. l. d. r. l. si quis ita. de reb. dub. Don. d. c. 7. & tr. de testib. c. 1. Reusn. d. p. 3. c. 21. Robertus disp. 11. th. 6. Arum. d. lo. th. 16. Diff. Duar. ad t. qui testa. fac. poss. Rubr. de testib. in testa. idon. Hæn. d. disp. th. 9. Illis tamen, qui testamenta scribunt, licet testes in eod. testamento esse possint, legari nihil potest: sed si testator illis aliquid legati nomine relinquere cupit, legatum illud.

illud alterius manu scribendum est l. 15. § ul. ad L. Corn. de fal. Cujac.
tr. 3. ad Afri. in l. 6. d. t. Reusn. d. p. 3. c. 23. JCrus tamenq; testamenta
dictantibus rectè legari ait Zeno in l. 22. C. de testa. vid. Reusn. d. c. 23.

X.

Militare (a) testamentum est, quod milites (b) in expedi-
tione (c) regulariter coram duobus testibus (d) quoquo mo-
do voluerint (e) & potuerint, faciunt. Quod ita conditum
integrum etiam annum post missionem (f) valet. (g)

a) Quod iustum quidem ex singulari privilegio, minus tamen
solemne est. Quam ob rem miles etiam in dubio censetur jure mi-
litari usus l. 3. de mil test l. 1. l. 2. C. eod. Treutl. d. disp. 10. th. 6. lit. a.
b) quos eos esse hic putamus, qui in numeros relati sacramentum
præstiterunt militare l. 42. h. t. Vigl. ad rubr. 1. hic n. 15. & seq. Cujac. in
par. h. t. in f. Unde nostris quoq; militibus, modò sacramenti hujus
memores sint, privilegium hoc competere, indubitanter concludi-
mus Vigl. ad d. rub. n. 11. Vvesenb. conf. 17. n. 32. Myns. ad d. rub. n. 4. &
respons. 46. n. 9. 10. 11. Schar. ad rub. n. 7. C. eod. Vaud. 1 q. 55. Guil. 2.
O. 118. n. 1. Steph. d. cen. 2. q. 64. Quod etiam in limitancis & statio-
narijs militibus obrinere existimat Connan. 9. com. 5. Cujac. conf. 49.
Gædd. de contr. stip. c. 7. n. 302 & seq. Reusn. d. tr. p. 5. c. 4. n. 16. Arum.
d. disp. 7. th. 8. Hæno. d. disp. 7. th. 10. Gothof. in l. 17. C. de testa. mil. Treutl.
d. th. 6. li. c. Diss. Don. 6. com. 28. Guil. d. O. 118. n. 13. Non tamen idem
de militibus togatis h. e. advocatis & Doctoribus, etiam actu legen-
tibus asserimus arg. § si l. h. t. l. 2. § 43. de O. l. Schar. ad d. rubr. n. 4.
Schneid. d. lo. n. 12. Don. d. c. 28. Arum. d. lo. th. 9. Hæno. d. disp. thes. 12.
Steph. d. q. 64. Vves. ad d. rub. n. 6. Diss. Grass. in d. § testam. q. 4. & ibi
allegati. Ut nec de lanijis, mercatoribus & victualibus, qui castra se-
quuntur arg. d. l. 42. h. t. l. 1. l. 16. C. eod. c) pr. & § sed hactenus
l. h. t. Post missionem enim veterani vel alij extra castra si testamen-
tum faciant, jure communi id facere debent § post missionem l. d. t. l.
pen. C. eod. vid. Connan. d. c. 5. In castris autem agens testamentum
fecisse intelligitur, etiam si ante expeditionem testamentum jure
communi factum in castris confirmaverit, per additionem etiam vel
detractionem de novo voluntatem suam declarando § sed si quis ubi
Myns. l. d. t. l. 15. § 2. l. 20. eod. De qua tamen nova voluntate si non
constet, testamenta antea condita tum demum, si ex solennibus jure
communi

communi requisitis nihil eis desit, valebunt d. l. 20. § 1. d) arg.
 l. 12. de testib. Hi autem ut ad hoc specialiter rogentur, necessarium
 non est. Hano. d. diff. 7. th. 11. Steph. d. cen. 2. q. 65. e) d. pr. l.
 h. t. l. 1. l. 2. l. 15. & passim C. eod. Rationem hujus, ut & aliorum mili-
 tibus indultorum privilegiorum v. ap. Io. in. Cheirod. Ceram. in parat. l.
 h. t. Voluntas tamentalis hic intelligenda, quæ juri & bonis mori-
 bus non repignet arg. l. 55. de lega. 1. Don. d. c. 28. fol. 103. in f. Et hæc
 libera testandi voluntas facit, ut miles pro parte testatus, & pro par-
 te intestatus decedere possit. l. 6. h. t. l. 2. C. eod. l. 7. ubi P. Fab. Hippoly.
 à Coll. & Christoph. Sturc. de R. l. item ad tempus heredum institueret
 l. 15. § 4. l. 19. in f. l. 47. d. t. l. 8. C. eod. filium scilicet, etiam ex certa sci-
 entia praterire l. 9. C. d. t. l. 47. § ult. de boni. libert. § 6. l. de exhe. lib.
 & ut mutus & surdus in numeris manens, etiam si à Principe veniam
 non impetret, testari possit § quinimo 2. l. h. t. l. 4. eod. quod tamen
 intellige de eo, qui talis est ex causa: cum aliàs ne miles quidem esse
 possit arg. d. l. 4. l. 2. §. 2. de his qui not. infa. junct. arg. l. 8. de his qui sui
 vel alie. ju. Vigl. Vult. & Myus. ad d. § quinimo Steph. d. cen. 2. q. 63. Diff.
 Acc. in d. § quinimo. Graff d. § testam. q. 3. n. 4. f) quæ quid sit,
 & quadruplex, honesta scilicet, causaria (quæ duæ species hic tantum in-
 telliguntur) & ignominiosa v. d. l. 2. § 2. de his qui not. infa. Ant. Au-
 gusti. in lib. singul. ad Modestin. pag. 264. Don. d. lib. 5. com. 28. g) d. §
 post missionem l. h. t. l. 15. § 5. l. 36. in f. eod.

Corollar.

I.

*An conjugum testamentum reciprocum in eadem charta
valeat? A.*

II.

An mulier possit esse testis in codicillis? A.

III.

*An testamentum juxta statuta loci factum etiam extra territo-
rium vires suas obtineat, & ad bona etiam in diversis territorijs sita
porrigatur? A.*

C

PARER-

P A R E R G A

Politica.

I.

An peregrinis officia publica committenda? N.

I I.

An in electione magistratum divites preferendi pauperibus? A.

I I I.

Utrum unus debeat multa officia gerere simul? N.

Ethica.

I.

An Deus sit bonum laudabile? Diss.

I I.

An aliquis sibi-ipsi inferre possit injuriam? N.

I I I.

An omnis virtus Ethica sit prudentia? N.

Philologica.

I.


Cur pandectarum libri notâ ff. citentur?

I I.

An rectè scribatur stratagema? N.



AD



AD POLITISSIMUM ET
doctissimum Dn. Respondentem Collegam,
Convictorem Ἐντιδελφον suum
exoptatissimum.

JOANNES NIEBURIUS.

Ἀναξαμμανιδῆς.

I: SANE IN JURE BONUS.


L Inque voluptates alijs: Ἀστῆα Themisq̄
Sint, ut sunt, cordi, candide Nise, tibi.

I. rectum hoc, quod pergis, iter: Sic (crede monenti)

SANE IN JURE BONUS, laus quoq; gentis, eris.

ἰσχυδῆαοο

JOANNES CAMMAN B. S.



S O N N E T

A MONSIEVR NIEBOVR

estudiant en droit, mon commensal.

Ἐ disciple en la langue

fran c, oise.

A Insy que l' Eternel dispence egaleme^t
Ses dons a vn chacun, comme chose admirable,

Lcs

Les vns estans douéz, ou d' estat honorable,
Ou des faueurs des Roys, ou d' argent seulement,
Les autres de grandeur, ou bien d' entendement:
Ainsy n'a il voulu, que prejudiciable
Soit a l'homme petit, n'encor moins dommageable
Sa petite stature, ayant bien tellement
Reparé ce defect, de l'auare nature,
Ornant ce beau chefd'oeuvre, bien que petit de corps,
Touteffois en vertu, nourry certes dès lors
Qu'il sentit les douleurs, de sa mere si dure
Partant si en stature, es des tiens surmonté
La vertu te fera, haut sur tous eux monté.

R. Doucetus S. Gallus.






AD POLITISSIMUM
 doctissimum Dn. Respondentem
 Convictorem Ἐπιτιμωτήριον
 exoptatissimum.

IOANNES NIEBUHR
 Αναγκαστικός.
 I: SANE IN JURE BONUS

L Inque voluptates alijs: Αστία Θεμισία
 Sint, ut sunt, cordi, candide Nise,
 I rectum hoc, quod pergit, iter: Sic crede
 SANE IN JURE BONUS, la

ἐπεδίασε
 JOANNES CA



SONNET
 A MONSIEVR NIEBUHR
 estudiant en droit, mon cousin
 Ἐπίμαχος, disciple en la langue
 française.

A Insy que l' Eternel dispence egaleme
 Ses dons a vn chacun, comme chose



ET
 m,

eris.
 S.



VR

Les

